

quando oratio ipsa præcepta est. At vero sacramenta et habent præceptum affirmativum ut conficiantur, et hoc obligat pro aliquo tempore, et non pro semper; præterea habent negativum ortum ex natura rei sacræ, et institutionis Christi, ut quotiescumque ministrantur, vere et se-

rio et debite ministrentur, propter sacratissimum illud opus, quod tunc fit; et ideo ratione hujus negativi præcepti, scilicet, quod non falso fiant unquam, nec indebite tractentur, et cum magna mutatione, non potest unquam sacramenti forma sine gravi peccato mutari.

QUÆSTIO LXI.

DE NECESSITATE SACRAMENTORUM.

DISPUTATIO XXIII.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum sacramenta sint necessaria ad humanam salutem?

CONCLUSIO: SACRAMENTA SUNT DE NECESSITATE SALUTIS.

I. Titulus articuli intelligendus est de omnibus sacramentis, scilicet, non solius legis gratiæ, sed etiam legis veteris, et legis naturæ; cum de omnibus his in hac quæstione agat D. Thomas, et rationes ejus in hoc articulo, tam in argumento Sed contra, quam in corpore, de omnibus procedant sacramentis. Et diximus de omnibus, distributione facta pro generibus singulorum, seu distributione accommodata, non pro singulis generum. Inde vero oritur dubium, quomodo inquiretur an sint necessaria, cum non omnia sint media ad salutem; nec enim de ratione sacramenti est quod sit causa gratiæ et salutis, sed præcise quod sit signum practicum illius: ergo in ratione sacramenti, ut signum est, inquireri non debet an sint media, vel sint necessaria ad salu-

tem, si quidem id non videtur esse de ratione sacramenti.

II. Respondetur nihilominus, aliud esse quod sacramentum sit causa rei sacræ, seu gratiæ: aliud quod sit necessarium ad salutem; illud enim non pertinet ad institutionem, qua signa ista sacra instituta sunt, quasi sit essentia eorum causas esse gratiæ, quia de se non sunt omnia sacramenta instituta ut causæ, sed ut signa; ideoque essentia eorum non consistit in eo quod est causare gratiam; at vero esse necessarium ad salutem, non inquiritur hic tamquam quid essenziale sacramento; supponitur enim ejus essentia jam explicata præcedenti quæstione, sed supposito quod essentia sacramentorum sit esse signa practica gratiæ, et protestativa fidei, an taliter ordinaverit illa Deus ut decreverit salutem non dare hominibus, nisi per protestationem et usum talium signorum, etiamsi talia signa non sint causa illius salutis ex vi essentiæ suæ, sed signa. Inquiretur ergo D. Thomas de necessitate horum signorum ad salutem, sive causæ illius sint, sive non; sicut observatio mandatorum est necessaria ad salutem, licet non sit causa gratiæ et salutis effectiva, secundum essentiam suam.

DUBIUM UNICUM.

UTRUM CONCLUSIO D. THOMÆ SIT
VERA?

Conclusio est affirmativa.

III. Ubi communiter advertunt omnes expositores, conclusionem posse intelligi in duplici sensu, uno modo, an sint necessaria sacramenta post eorum institutionem, et hoc agitur infra quæstione LXV, articulo IV: alio modo, an fuerit necessarium quod Deus sacramenta instituerit ad salutem hominum, et sic est in præsentis sermo de illa. Hæc enim quæstiones valde differunt; aliud enim est inquirere de necessitate usus sacramenti, post ejus institutionem: aliud inquirere de necessitate instituendi: sicut aliud est quærere de necessitate quæ fuit ad incarnandum: aliud de necessitate quæ nobis incumbit utendi remedio incarnationis. Hic agit S. Thomas de necessitate institutionis; infra autem de necessitate utendi sacramentis institutis.

IV. Et ita conclusio asserit, necessarium fuisse quod instituerentur sacramenta, ubi necessarium non sumitur absolute, id est, in ordine ad finem, quod est ad salutem. Et hæc necessitas ad consequendum talem finem non sumitur in ordine ad potentiam Dei absolutam, sed ordinariam; et ita idem valet ly necessarium, quod congruum et convenientius, ut clare S. Thomas dicit in IV, dist. I, quæst. I, art. II, quæstiuncula prima, sicut de incarnatione ipsa, a qua sacramenta vim habent, et quam repræsentant, supra D. Thomas dixit quæst. I, art. II, non fuisse necessariam simpliciter ad reparationem nostram, sed convenientiorem et magis con-

gruam. Et sic etiam S. Thomas in rationibus, quas adduxit, semper infert: et ideo convenienter instituta sunt sacramenta, etc.

V. Rationes D. Thomæ pro conclusione ista optime congruentiam et convenientiam habere ostendunt. Argumentum Sed contra ex auctoritate Augustini procedens, videtur difficultatem pati; dicit enim Augustinus: « In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum coadunari homines possunt nisi aliquo signaculorum seu sacramentorum visibilium consortio colligentur. » Ex quo infert S. Thomas: Ergo sacramenta necessaria sunt sicut et adunatio in religione: quæ consequentia manifestum continet defectum a disjunctiva ad partem affirmativæ. Ponit enim Augustinus disjunctivam hanc: Signaculorum seu sacramentorum. Quod si dicatur, non disjunctive sumendam propositionem, sed tamquam duo synonyma; et idem voluisse significare Augustinus per signacula, et sacramenta, destruitur sequens articulus, quia in statu innocentie vere adunarentur homines in unum nomen religionis, et tamen negat D. Thomas ibi futura sacramenta.

VI. Respondetur illud verbum coadunari, duo significare posse, videlicet et communicare, seu convenire in aliqua religione, et initiari, seu suscipere ac profiteri talem religionem, et consequi ejus sanctitatem. Primo modo coadunatio extenditur tam ad statum innocentie, quam peccati, et requiritur consortium signorum externorum, sive sacramenta sint, sive non; sufficiunt enim sacrificia, vel quid simile. Et tali modo sumpta coadunatione, non loquitur hic S. Thomas in præsentis articulo, ubi illam consequentiam infert; neque in sequenti, ubi sacramenta negat statui innocentie: secundo modo sumpta

coadunatione sumitur in præsentis articulo, ex qua recte infertur requiri sacramenta, seu signacula, quæ sint vera sacramenta; quæ tamen negantur in sequenti articulo, quia non esset coadunatio in statu innocentie ad suscipiendam sanctitatem et profitendam, si quidem sanctitatem deberet habere mens immediate Deo per traductionem naturæ, et non per initiationem sacramentorum, seu signorum exteriorum.

VII. Et hinc sumitur ordo congruentiarum S. Thomæ, quia enim homo non accipit jam sanctitatem per traductionem naturæ, oportet quod eam habeat per inquisitionem, seu ab extrinseca applicatione; et ideo sicut spiritualia homo accipit ex corporalibus, sic et gratiam per applicationem corporalium et sensibilium debuit accipere, ut modus naturæ conveniens in spiritualibus acquirendis servaretur. Debuit etiam medicinam corporali modo accipere, quia subjiciendo se corporalibus, vulneratus fuit. Debuit et sacramenta exercitia habere, ut evitaret superstitiosa et noxia exercitia; ut autem ea haberet sibi connaturalia et apta debuerunt sensibiliter ei proponi, et non abstrahi totaliter a corporalibus actibus, ne gravia fierent et fere impossibilia modo connaturali agendi. Quæ omnia probant convenientem et necessariam institutionem sacramentorum, non simpliciter, sed secundum connaturalem et suavam gubernationem.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

VIII. Contra hanc conclusionem et ejus congruentias objici potest primo: Nam in statu innocentie non fuerunt necessaria homini sacramenta ad consequendam salutem, ut dicit S. Thomas sequenti articulo: ergo simpliciter et absolute sa-

cramenta non sunt necessaria ad consequendam salutem.

IX. Nec dici potest S. Thomam loqui in hoc articulo de sacramentis solum pro statu peccati; nam de hoc loquitur articulo tertio sequenti: ergo in isto articulo procedit generaliter de omni statu hominis; et deinde postea distinguit de statu innocentie et peccati: ergo in ista generalitate loquendo, et abstrahendo ab omni statu, non sunt homini necessaria sacramenta, si quidem solum pro statu, seu ratione status peccati, non autem ex ipsa natura hominis necessaria sunt.

X. Respondetur D. Thomam in hoc articulo loqui de homine considerato secundum se, et secundum conditiones naturæ suæ, et etiam secundum statum peccati, non autem pro statu innocentie. Quod enim loquitur de homine secundum se et conditiones naturæ, constat ex prima et tertia ratione: de homine autem pro statu peccati loquitur in secunda ratione. Itaque licet de facto non fuerint in homine nisi status innocentie, et status peccati; homo autem in puris naturalibus non elevatus ad finem supernaturalem non habebat sacramenta, tamen necessitas sacramentorum ad salutem non solum oritur ex vi status peccati, sed etiam ex conditionibus naturæ; quæ si ad spirituales finem deducenda est, debuit per talia media deduci.

XI. Et ideo D. Thomas tangens radices hujus necessitatis, non loquitur de homine pro illo statu in quo habebat gratiam per traductionem naturæ, nec præcise de statu peccati, sed de homine considerato secundum suas conditiones naturales, elevato tamen ad finem supernaturalem, et etiam considerato in statu peccati; ex utraque enim radice necessitas sacramentorum oritur. In articulo autem tertio loqui-

tur de homine pro statu post peccatum, non absolute, sed ante Christum: unde non comprehendit omnem statum peccati, sed determinatum. Nec loquitur de homine secundum quod ei sunt necessaria sacramenta ratione conditionum naturalium, sed præcise ex statu peccati, qui est secundum unum principium necessitatis sacramentorum. In hoc autem articulo considerat omnia principia unde hæc necessitas oritur, scilicet, tam statum peccati, quam conditiones naturales; remoto illo statu, in quo per traductionem naturæ gratia habebatur.

XII. Secundo objicies: In lege naturæ, aut lege veteri homo fidelis peccans mortaliter poterat consequi salutem sine sacramento per solam contritionem non includentem votum sacramenti: ergo sacramenta non sunt necessaria ad consecutionem salutis. Antecedens patet, quia in lege naturæ et veteri non erat aliquod sacramentum pœnitentiæ, ad quod contritio diceret ordinem, sicut modo dicit ad claves, nec signari potest sacramentum ad quod dicebat ordinem contritio, et si quæ sacramenta erant, habebant vim ex opere operantis, id est, ex contritione suscipientis: ergo contritio ipsa sine ordine ad aliquod sacramentum justificabat, si quidem ipsa dabat virtute sacramentum; non vero virtutem aliquam a sacramento accipiebat, si quidem erant sacramenta nullius virtutis. Contritionem autem justificare in ordine ad sacramentum, est habere ab illo virtutem aliquam aut perfectionem in justificando. Consequentia vero probatur, nam homo per peccatum mortale est in statu peccati; ergo si sine sacramento potest ab illo resurgere, sacramenta non sunt necessaria simpliciter post statum peccati.

XIII. Respondetur, quod ut dicantur sacramenta necessaria ad salutem, non requiritur quod pro omnimodo consequendi salutem fuerint semper necessaria, sed sufficit quod omnis qui consequitur salutem, sacramento usus fuerit ad illam consequendam, quia saltem ad peccatum originale tollendum, quod simpliciter est necessarium ad salutem, opus fuit sacramento, aut voto illius. Quod autem pro quolibet genere peccati (videlicet etiam pro actuali) sint instituta sacramenta, pertinet ad abundantiam gratiæ, quæ non pro omni statu, sed pro statu legis evangelicæ per Jesum Christum data est. Itaque necessarium fuit ad salutem pro omni statu post innocentiam sacramento uti; non tamen id necessarium fuit pro omni genere peccati, ita ut pro diversis peccatis diversa essent sacramenta, sicut in lege gratiæ, quia non ita abundabat gratia sicut in isto statu.

XIV. Secundo dicitur, etiam fuisse sacramentum pœnitentiæ in statu antiquo, licet non ita determinatum sicut modo, ut dicitur articulo tertio. Ex quibus contra hæreticos colliges, ex sacramentorum multiplicitate non subjectionem incurrisse hominem ad signa corporea, sed magnum levamen; cum facilius sibi detur via obtinendi gratiam, quam sine sacramentis, cum ex abundantia gratiæ ista processerint.

XV. Tertio objicies ex Cabrera super istum articulum: Nam congruentiæ D. Thomæ, scilicet, quod sacramenta sunt necessaria propter eruditionem, propter subjectionem, et propter exercitationem hominum, non videntur tenere in multis sacramentis; nam parvuli per sacramenta non erudiuntur, et tamen eis sunt necessaria. Item multa eorum non possunt iterari, et sic propter exercitationem non sunt necessa-

ria. In multis etiam illorum non humiliatur homo, sed potius extollitur, ut in susceptione ordinum, in sacramento confirmationis, ubi datur plenitudo gratiæ, etc.

XVI. Respondetur tamen, hæc omnia non æqualiter relucere in omnibus sacramentis. Et quidem parvuli, sicut non suscipiunt baptismum propria voluntate, sic neque erudiuntur in proprio intellectu, sed eorum, in quorum fide baptizantur; et hoc sufficit ut dicantur sacramenta esse ad eruditionem aut eorum qui suscipiunt, aut eorum qui considerando proficiunt. Sic enim exercitationem sacramentorum non æqualiter debemus sumere in omnibus, in aliquibus enim intelligi potest de reiteratione ipsorum, in aliis vero de exercitatione quam potest habere homo in consideratione gratiæ et virtutum, quæ per eos dantur. Similiter humiliatio est in sacramentis, non ex re sacramentorum (quia hæc magnæ dignitatis est) sed ex medio et instrumento, quo datur talis res, scilicet, ex corporalibus actionibus, quibus homo subijci debet ut rem tam excellentem assequatur. Quod si inde homo superbiat, suæ malitiæ, non sacramentum attribuendum est.

XVII. Quarto objicies: Deus non voluit sacramenta propter nostram salutem; ergo ipsa non sunt necessaria ad salutem. Consequentia patet, nam in sacramentis non potest esse major necessitas ad salutem, quam Deus per voluntatem suam in illis impertivit: ergo si non voluit Deus sacramenta propter salutem, neque ipsa in se participant necessitatem ad salutem. Antecedens probatur primo, quia Deus non vult unum propter aliud, cum non sit ordo in actibus divinis: ergo neque sacramenta propter salutem. Si autem Deus non vult unum propter aliud active, ex parte actuum: ergo

neque res passive sunt volitæ aliæ propter alias, quia non potest passive aliquid esse volitum, nisi propter activam volitionem.

XVIII. Secundo, quia Deus nec vult sacramenta propter salutem tamquam propter effectum, nec tamquam propter finem: ergo. Non tamquam propter effectum, alias sacramenta essent nobiliora quam gratia, cum gratia esset volita ut effectus eorum, sicut incarnatio est nobilior quam redemptio, quia est volita propter redemptionem tamquam propter effectum, non tamquam propter finem. Nec tamquam propter finem, alias etiam essent volita propter incarnationem, cum gratia nostra habeat pro fine incarnationem, et sic sacramenta essent necessaria ad gratiam, quod est absurdum.

XIX. Respondetur negando antecedens, ad cujus evidentiam notandum est, quod in volitione divina non est ordo ex parte actuum voluntatis, sed ex parte volitorum, et ideo non valet a passiva ad activum; est ordo in volitis passive; ergo et in volitionibus active, propter variationem appellationis, quia Deus vult simplicissimo actu, sicut et cognoscit, tamen res multas vult, et multas cognoscit; et sic non valet a multitudine cognitorum aut volitorum passive, ad multitudinem et ordinem volitionum active. In creata autem voluntate id valebit, quia specificatur ab objectis, et ex illis sumit perfectionem. Unde ordo volitorum non ex volitione descendit, sed potius illam causat; et ita si invenitur in omnibus volitis, debet inveniri et in volitionibus, quæ ab illis descendunt et participantur, cujus oppositum contingit in volitione divina.

XX. Quare Deus est causa volens sacramenta propter salutem tamquam propter finem, et effectum;

quia hoc nihil aliud denotat, quam Deum imprimere sacramentis virtutem, ut sint media, et instrumenta gratiæ, quæ causatur per illa. Similiter vult gratiam esse causam finalem sacramenti, sicut vult medicinam propter salutem, quia ordinat medicinam ut medium ad salutem, et vult salutem esse causam medicinæ. Hæc autem omnia operatur unica volitio Dei, dividens singulis prout vult, et ita est unus Spiritus, plura autem dona.

XXI. Ad secundam probationem dicitur, Deum velle sacramenta propter salutem, tamquam propter finem et effectum; non effectum causæ æquivocæ et principalis, sed causæ instrumentalis et medii. Non enim est inconveniens, quod medium ad finem sit causa finis, sicut medicina est causa sanitatis, et meritum causa præmii.

XXII. Quinto objicies: Sacramenta, ut dixit S. Thomas quæstione præcedenti, articulo quinto: «Hæc duo, et respectum Dei ad nos, in quantum nos sanctificat per illa; et usum nostri ad Deum, in quantum nos per illa protestamur et exercemus cultum Dei.» Sed ex utroque capite sunt sacramenta simpliciter necessaria: ergo non solum sunt necessaria ut convenientia ad salutem, sed ut necessaria simpliciter. Minor probatur, nam supposito fine, (scilicet salute nostra) oportuit aliquibus mediis ea nobis applicari; nullis autem aliis poterat quam sacramentis, quia eo ipso quo sanctificatio nostra non habebatur ex translatione naturæ, ab extrinseco applicari debebat, et consequenter illud extrinsecum esset signum sanctitatis. Ex parte etiam nostra simpliciter est necessaria protestatio divini cultus, ut sanctificatorem nostrum colamus, cum id sit de jure naturali: ergo erat necessarium, simpliciter.

XXIII. Confirmatur, quia incarnatio fuit simpliciter necessaria ad solvendum de rigore justitiæ: ergo et nobis est simpliciter necessaria applicatio hujus pretii, sicut et ipsum pretium; sed hæc applicatio non potest fieri nisi per aliqua sacramenta: ergo sacramenta sunt simpliciter necessaria ad istum finem, et non solum ad melius esse.

XXIV. Respondetur utroque modo sacramenta esse tantum convenientia, non vero necessaria simpliciter. Nam ut Deus applicaret nobis gratiam, non indigebat sacramentis visibilibus, sed sufficiebant actus interiores, sicut sufficiunt quando extra sacramenta justificamur. Fuit tamen convenientius ut per sacramenta, tamquam per visibilia media justificaremur. Nec instari potest de parvulis, qui actum interiorem habere non poterant, nam posset Deus instituere, quod per actum interiorem offerentium justificarentur, assumendo illum ut instrumentum justificationis eorum, sicut modo assumit aquam. Ex parte etiam nostra est convenientior cultus, qui fit secundum exteriores cæremonias; non tamen simpliciter necessarius, cum sufficiat sæpe interior; in parvulis vero nullus requiratur.

XXV. Ad confirmationem respondetur incarnationis pretium esse simpliciter necessarium supposito decreto incarnationis; sicut autem posset Deus sine incarnatione homines salvare, si libere vellet peccata donare, ita et sine sacramentis ab incarnatione derivatis. Imo facta incarnatione, posset adhuc Deus applicare illud pretium mediante actu aliquo interiori, verbi gratia fidei, aut charitatis; nec tunc necessaria essent sacramenta visibilia.

XXVI. Sexto objicies: Sacramenta solum sunt necessaria necessitate præcepti, non vero necessitate finis:

ergo de se non sunt necessaria ad salutem, sed ex vi præcepti.

XXVII. Respondetur, ante institutionem sacramentorum, nec necessitate finis, nec necessitate præcepti esse necessaria, sed solum convenientia et congrua; facta autem institutione, quædam sunt necessaria necessitate medii, ut baptismus absolute, et eucharistia saltem in voto, et pœnitentia respective id, est, respectu eorum qui peccaverunt mortaliter; quædam vero sunt necessaria necessitate præcepti tantum, et non medii.

ARTICULUS II.

Utrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta?

CONCLUSIO EST AFFIRMATIVA.

I. In titulo nota duos terminos. Primus est *ly* ante peccatum: secundus est *ly* necessaria. Per *ly* ante peccatum, intelligitur status, qui fuit ante peccatum absolute consideratus, id est, non solum secundum quod inventus fuit in duobus primis parentibus, sed secundum naturam talis status; quod contra Cajetanum in præsentis articulo notandum est. Nam D. Thomas ex rectitudine status illius probat non fuisse sacramenta in eo: ergo loquitur de statu absolute, et non ut fuit solum in primis parentibus. Rectitudo enim absolute ei conveniebat, et ex se, non ut de facto fuit solum. Per *ly* autem necessaria intellige necessitatem congruentiæ ad duplicem finem, scilicet, ad remedium peccati, seu gratiam consequendam et salutem, et ad perfectionem animæ, id est, aut eruditionem, aut augmentum gratiæ, vel scientiæ. Utrumque enim finem explicavit hic S. Thomas et in iv, distinct. 1, quæst. 1,

art. ii, et ad utrumque necessaria esse sacramenta ut media, negavit.

II. Probat S. Thomas conclusionem, et in argumento Sed contra et in corpore articuli. In argumento Sed contra probat illam veluti inadæquate, et considerando sacramenta secundum unum finem, ad quem ordinantur, et non absolute unum enim ex officiis quod habent sacramenta, est quod sint medicinæ spirituales contra vulnera peccati adhibita; in statu autem nature integræ necessariæ non erant medicinæ, cum non essent ægritudines peccati: ergo. Quæ ratio non totaliter excludit sacramenta ab illo statu, cum non sit necessarium quod sacramenta sint medicinæ, sed sufficit esse signa gratiæ. Nam eo ipso quod non erant necessaria ad remedium, restat videre an essent necessaria ad perfectionem gratiæ, vel ad eruditionem in spiritualibus, vel ad habendam absolute gratiam; quamvis gratia non esset tunc reparativa et medicativa peccati, sed perfectiva subjecti.

III. Quare in corpore articuli ex rectitudine illius status probat S. Thomas non fuisse necessaria sacramenta. Consistebat enim rectitudo illa in hoc, quod superiora perfecte dominabantur inferioribus, et non dependebant ab eis. Ipsa enim mens subjecta erat Deo, et menti inferiores vires animæ, et ipsi animæ corpus: sacramenta autem sunt quid corporale, per quod perficitur anima in superiori parte, et quantum ad supernaturalia: ergo in hoc statu, in quo superiora perfecte dominabantur inferioribus, non erat congruum accipere perfectionem mediante re corporali, si quidem si superiora dominabantur inferioribus, influebant quoque et perficiebant illa, et sic non indigebant rebus corporalibus ad perficienda su-